



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

M. Antonii Mvreti Ad Librvm Qvintvm Natvralivm Senecæ Qvæstionvm,  
Notæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](#)

M. ANTONII MVR ETI<sup>A</sup>  
AD LIBRVM QVINTVM  
NATURALIVM SENECAE  
QVÆSTIONVM, NOTÆ.

I. **V**ENTVS EST FLVENS AER.] Hanc definitionem non à Stoicis primum proditam, sed vetustam esse ostendit Aristoteles: & certe Hippocratis in libro de flatibus eam sententiam esse confat: quam tamen multis modis Aristoteles secundo Meteorologicon erroris mendaciique conuinxit.

AD CAP. IIII. 2. QVOMODO IN NOSTRIS CORPORIBVS.] Ridicula opinio. Itaque Aristophanes Socratem ut populi ludibrio exponeret, eodem propè modo de tonitruis & fulminis origine differentem facit.

AD CAP. VI. 3. ANIMALIA IGNE GERANTVR.] *Contra Onidius,*

Nec tu aliud Vestam, quām puram intellige flammam.

Nataque de flammā corpora nulla vides. Sed hac de re vide Aristotelem libro v. de historiā animalium, & Plinium capite XXXVI. lib. XI.

AD CAP. VII. 4. NVNC VIRITIM INCIPIMVS ILLOS EXCVTIRE.] De his omnibus, que hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Plinium libro II. à cap. XLV. usque ad cap. L. & scriptorem noctium Atticarum cap. XXII. libri secundi.

AD CAP. XVII. 5. GALLIAM CIRCIUS.] Galliam Narbonensem: ubi hodieq. & vehementiam & nomen retinet. Cercium Al. Cato vocat, si emendata sunt exemplaria.

L. ANNÆI SENECAE<sup>C</sup>  
AD LV CILIVM  
NATURALIVM QVÆSTIONVM  
LIBER SEXTVS.

*In quo de terra motu agitur.*

CAP.  
I.



OMPEIOS,<sup>1</sup> celebrem Campaniæ urbem, in quam ab alterâ parte Surrentinum Sabianumque littus, ab alterâ Herculaneum conueniunt, mareque ex aperto conductum ameno sinu cingit, desedisse terræ motu, vexatis quæcumque adiacentibus, Lucili virorum optime, audiuimus: <sup>2</sup> & quidem diebus hibernis: quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Febr. fuit motus hic Regulo & Virginio consulibus, qui Campaniam numquam securam huius mali, indemnem tamen, & totiens defunctam metu, magnâ strage vastauit. Nam & Herculaneum oppidi pars ruit, dubieque stant etiam quæ relicta sunt. Et Nucerinorum colonia, ut sine clade, ita non sine querelâ est. Neapolis quoque priuatim multa, publicè nihil armisit, leuiter ingenti malo perstricta. Villæ verò prærupra passim sine iniuria tremuerent. Adiiciunt his <sup>3</sup> sexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuisas statuas: mortæ post hoc mentis aliquos atque impotes sui errasse. Quorum ut caussas excutiamus, & pro-